

**De progressionem dialecticam
Dionysii Areopagiti, Thomae Aquinatis, Johannis a Cruce meditatio**

Gualterius Redmond

Dionysius Areopagitus censuit:

καὶ μὴ οἶεσθαι	nec existimare
τὰς ἀποφάσεις	negationes
ἀντικειμένως εἶμαι τὰς καταφάσεις	affirmationibus esse contrarias

Aristoteles vero scripserat:

πάση ἀπόφασει	omni negationi
ἔστιν ἀπόφασις ἀντικειμένη	affirmatio est contraria ¹

Recens vero auctor commentatus est:

hic [Dionysii] locus loco directe repugnat Aristotelis, qui, iisdem vocabulis adhibitis, arguit negationes affirmationibus esse contrarias.²

Multos mentis operis ac laboribus hodie incumbentes, tamquam Reginam Albam, quae

sex impossibilia ante jentaculum credebat³,

¹ Dionysius, Περὶ μυστικῆς θεολογίας, (*De theologia mystica*), Migne, *Patres graeci*, 999. Aristoteles (ordine paulum inverso): πάση καταφάσει ἔστιν ἀπόφασις ἀντικειμένη καὶ πάση ἀποφάσει κατάφασις (“omni affirmationi negatio est contraria et omni negationi affirmatio”), *De Interpretatione*, 17a31-32.

² Paulus Rorem, adnotator Anglicae versionis operis *De mystica theologia*: “This passage directly contradicts a passage from Aristotle, who used identical terminology to argue that negations are the opposite of affirmations”, C. Luijckx (versor) aliique, *Pseudo-Dionysius/The Complete Works* (Novi Eboraci: The Paulist Press, 1978), adnotatione 6, p. 136.

³ Lewis Carroll, cf. *Alicia per speculum transitus*, versore Carruthers, Clive Harcourt (Novi Eboraci: St. Martin’s Press, 1966), cap. 5.

haud conturbat contradictio logica, nedum in re religiosa. Aliqui tamen sunt quibus religio, immo mystica, logicam condicionem nondum amisserit; quaeram igitur non utrum sed quomodo Dionysiana “dialectica mystica” cum “logica classica” (= bivalenti calculo) reconcilianda sit, cujus fautores, non aliter quam logici Scholastici, illationes $p \supset \sim \sim p$ et $\sim \sim p \supset p$ approbaverunt⁴. Hoc propositum perficere cogito adjuvantibus Ditrico Bonhoeffer (negatio Dei qui “datur”), Thoma Aquinate (dialectica analogica), Johanne a Cruce (dialecticus Montis Carmeli ascensus).

Dialectica Dionysii

Triplitem “dialecticam” Dionysii progressionem, primum omnium, recenseamus, schema scilicet “epistemologiae spiritalis” quod immensa apud Christianos et orientales et occidentales (necnon idealistas Germanicos!) auctoritate fruiturum erat.

- 1) θεσίς,⁵ κατάφασις-- positio, via (sive “theologia”) affirmativa
- 2) ἀπόφασις-- negatio, ablatio, via negativa seu apophatica.
- 3) “ὑπέρ” (“hyper”)-- via superlativa⁶.

Exemplis “Deus est” et “Deus est bonus” utar, quin diversi sensus verborum “esse” et “bonus” indicentur, ut quaedam “ascensio dialectica” exhibeatur⁷:

- 3) **via superlativa:** “ὑπέρ” (“synthesis”)
Deus datar
Deus est bonus

⁴ Symbola hic adhibita (ubi p et q cujusvis propositionis vices gerunt): $\sim p$ (non p), $p \wedge q$ (p et q), $p \vee q$ (p vel q), $p \supset q$ (si p tunc q), $p \equiv q$ (p si solumque si q); “abstractor” $\langle x \setminus \phi x \rangle a$ aequivalet ϕa , ubi “ ϕ ” est propositio “a” (=“res”) continens.

⁵ Vocabulum “θεσίς” est ipsius Dionysii.

⁶ Dionysius, ut novam comprehensionem, prioribus superiorem, exprimeret, particula “ὑπέρ” utebatur ut praepositione (“supra”, “ultra”...) vel adverbio (“supra”, “ultra”, “ultra”...) vel praefixo (“super-” “per-”...).

⁷ “Progressionem” sicut ascensum describo (Dionysius vero cum ut “sursum” tum ut “deorsum”).

2) **via negativa**: ἀπόφασις, ἀφαίρεσις, negatio, ablatio
("antithesis")
Deus non datur
Deus non est bonus

1) **via affirmativa**: κατάφασις, positio (θέσις)
Deus datur
Deus est bonus

Bene animadvertendum est Dionysium non solum affirmationem negavisse sed etiam *ipsam negationem*, De Deo enim dicit

οὐδὲ τι τῶν οὐκ ὄντων οὐδὲ τι τῶν ὄντων,

nec non-est nec est⁸. At propositum Dionysii haud est in negationibus permanere sed pervenire

ὑπὲρ πᾶσαν θέσιν καὶ πᾶσαν ἀφαίρεσιν,

supra omnem affirmationem omnemque negationem⁹.

Simplex paradigma

Logice autem quomodo intelligenda est negatio negationis?¹⁰ Jam primum usus simplex regulae logicae $\sim\sim p \supset p$ hac in re examinandus est¹¹. Fac Annam (ut exemplum praebeam) credidisse a puella Deum dari. Sed hodie, adulta, legit illud apud Freud: Deus non est "cum religio non sit nisi neurosis obsessiva, complexu Oedipodos effecta, hominum anxiorum qui Deo tamquam figura paterna

⁸ Περὶ μυστικῆς θεολογίας, 5.

⁹ Περὶ μυστικῆς θεολογίας, in fine. "Negationes non existimandae sunt tamquam affirmationibus adversae; [Causa omnium] potius multo superior est illis: tum supra omnem ablationem tum supra omnem positionem", ibidem, 1:2.

¹⁰ Patet exempla Bonhoeffer aliorumque auctorum allatorum non necessario sensum ipsius Dionysii exprimere.

¹¹ Notabile est quod A. Heyting, in suo systemati "intuitionistico", illatione $p \supset \sim\sim p$ accepta, $\sim\sim p \supset p$ rejecit.

indigeant”.¹² Anna deinde, doctrina Freud accepta, se atheam professa est. Patet propositiones “Deus datur” et “Deus non datur” (symbolis “D” et “~D” notatae), eodem sensu “esse” retento, inter se repugnare, atque Anna nunc primam plane negare. Anna autem (dicamus), deinde recogitans (“Freud, cum existentia Divina amentiae humanae optime congruat, propositum non videtur assecutum esse”), ipsa negatione sua ablata, ad theismum priorem revertitur; en dialectum ejus iter:

- 3) ~~D
2) ~D
1) D

Ubi patet tertiam sententiam (quia $\sim\sim D \supset D$) primae aequivalere ($\sim\sim D \equiv D$).

Res tamen, cum Anna aliis modis mentem mutare possit, involutius se habet. Fac Annam, theistam existentem, non locum Freud supra allatum legisse sed celebre pastoris Ditrici Bonhoeffer dictum

Deus qui “datur” non datur¹³,

sic cogitans:

Si ly¹⁴ datur inter virgulas interclusum (“datur”) designat illud esse quod Deo non convenit, tunc falsum est Deum dari. Deus enim non “datur” sicut “dor” ego aliave creatura, sed *aliorsum*, more proprio,

quem Bonhoeffer designavit per secundum ly datur virgulis carens--
nobisque liceat *litteris inclinatis* scribere:

Deus qui “datur” non *datur* (vere).

¹² *Die Zukunft einer Illusion*, 8.

¹³ “Einen Gott, den ‘es gibt’, gibt es nicht”, *Akt und Sein, Transzendentalphilosophie und Ontologie in der systematischen Theologie*, p. 94.

¹⁴ Per signum “ly” (ut nostrae virgulae) Scholastici ipsum vocabulum (sensu praetermisso) denotaverunt.

Deus enim qui non “datur”, tunc *datur*-- vel (per contrapositionem) Deus qui *datur*, non “datur”.

Nunc vero si ab Anna quaesiverimus num crediderit se athaeam fuisse antequam dictum Bonhoeffer legisset, dicit “minime, athaea non eram”. In initio enim, Anna (sic ei videbatur) significationem *ly dari* non satis inspexerat, lectis autem verbis Bonhoeffer, sensu falso (“dari”) rejecto veroque (*dari*) accepto, ultra primam notionem excessit. Progressus igitur dialecticus ita apparet:

- | | |
|----------------------|---------------------|
| 3) Deus <i>datur</i> | 2) Deus non “datur” |
| 1) Deus datur. | |

Contradictio revera inter has propositiones non invenitur; omnes enim verae sunt. Prima opinio Annae plus *ambigua* videtur quam falsa; ac proinde hujusmodi profectus tamquam “percolatio” apparet ubi prima notio “ambigua, vaga, confusa, generalis” fit in antithesi et in synthesi magis “clara, distincta, particularis”.¹⁵

Termini creaturis Deoque attributi

Theologi Medii Aevi, ut inter omnes constat, de diversis modis de Deo et creaturis loquendis diligenter inquirebant, ubi triplicem terminorum praedicationem (vel characterum attributionem) agnoverunt:

- 1) *univoca*: terminus *eodem sensu* usurpatur (ut “homo” in propositionibus “Anna est homo” et “Bernardus est homo”)
- 2) *aequivoca*: terminus sensus omnino diversos habet (ut “gallus” in propositione “cecinit gallus” de ave dicta aut de viro Gallico)
- 3) *analogica*: terminus “analogice” sumitur-- quae sententia a Thoma prompta diversimode exposita est (exemplum classicum est “sanus” in propositionibus “equus est sanus” et “urina est sana” et “medicina est sana”).

¹⁵ Philosophus postmodernus Johannes-Lucas Marion in gradu apophatico captus fuisse videtur cum de “Deo-sine-esse” aliquando scriberet, *Dieu sans l'être/ Hors-texte*. Parisiis: Arthème Fayard, 1982, atque ibidem: Quadrige, 1991; secunda editio correcta atque amplificata, 2002; vide ejus praefationem versionis Anglicae, *God without Being. Hors-texte*, a T. A. Carlson factae, Universite Chicagiensi, 1991.

Scotus censuit terminum (velut “bonum”), *eodem* quidem *sensu* dici de Deo rebusque creatis, *distinctis* tamen *modis*; scilicet: modo *infinito* de Deo, modo *finito* de creaturis. Scotus igitur, in propositionibus “Anna bona est” (= Ba) et “Deus bonus est” (= Bd), quandam *univocitatis* rationem assumpsit (in copulatione Bd∧Ba enuntiatam), sed Anna modo finito (= B^fa), Deus autem modo infinito (= Bⁱd). Ecce sententi Scotistica ut progressio dialectica exhibita:

- 3) Bⁱd
2) ~B^fd∧B^fa
1) Bd∧Ba

“Ascensus” analogicus Sancti Thomae sic logice exponi posset. “Signo φx” ut variabile utor pro propositione in qua “x” apparet (exempla sunt φd = “Deus est” vel “Deus est bonus”; φa = “Anna est” vel “Anna est bona”). Fac ut Anna primum censuisset Deum esse (vel bonum esse) “plus minusve” ut seipsam; deinde postea ei innotuerit (per locum Bonhoeffer) primam notionem, cum pantheismo par esse ei videretur, falsam esse. Meditare deinde pergens, sensit se debere ipsam negationem negare, nam atheismum, certe agnosticisimum, aliquo modo implicat. Postea vero, Anna obligatur (in gradu superlativo) suam propriam sententiam “puriorem” *clare* (quod discrimen est!) explanare.

Thesis igitur est copulatio univoce sumpta “Deus est (est bonus) et Anna est (est bona)” (φd∧φa). Quam affirmans, Anna dicit se ac Deum eodem fere sensu esse (aut bonos esse). Tum deinde, in via *apophatica*, Anna copulationem infitatur; quae vero negata (~[φd∧φa]) disjunctioni aequivalet: “Deus non est (non est bonus) vel Anna non est (non est bona)” (~φd∨~φa).¹⁶ Aliter dictum: “si Deus est, Anna non est; quod si Anna est, Deus non est” quoque et “si Deus est bonus [et cetera].” (φd⊃~φa atque φa⊃~φd).¹⁷

Anna tamen, *in ipso gradu apophatico* adhuc manens, cum pro certo habeat seipsam esse (vel bonam esse) (= φa), logice cogitur negare Deum esse (vel esse bonum) (= ~φd); nam propositio ~φd ex propositionibus φa et ~φd∨~φa sequitur.

¹⁶ Secundum aequivalentias apud Ockhamum saeculo XIV inventas, hodie vero “De Morgan” nuncupatas: ~[φd∧φa]≡[~φd∨~φa].

¹⁷ ~[φd∧φa], ~φd∨~φa, φd⊃~φa, φa⊃~φd inter se aequipollent.

Annam igitur oportet, ut se ex gradu apophatico ubi inretiebatur liberet, excogitare novum de Dei nominandi modum.

Enarratio Thomae

Thomas habitudinem inter sensus terminorum Deo et Annae adhibitorum explicuit “analogice”, scilicet ex habitudine Annae ad Deum. Quare scripsit

hoc modo aliqua dicuntur de Deo et creaturis analogice (et non aequivoce pure neque univoce),¹⁸
et “hoc modo” explanat sic:

non enim possumus nominare Deum nisi ex creaturis.... Et sic, quidquid dicitur de Deo et creaturis dicitur secundum quod est aliquis ordo creaturae ad Deum ut ad principium et causam in qua praeexistunt excellenter omnes rerum perfectiones.

Haec habitudo igitur duo importat:

- * ut Deus sit causa *efficiens* bonitatis Annae (ejusque existentiae): Deus actuale efficit ut Anna sit sitque bona¹⁹
- * ut Deus sit causa *exemplaris* bonitatis Annae, cujus bonitas (et esse) in Deo ut principio (nobis ignoto) “prae habetur”.

Signo “Rdöa” utor pro hoc duplici ordine: “Deus rationem reddit de öa ut actuali et prae habito”. Itaque de his duobus (ut ita dicam) “characteribus” agitur:

- * Deo convenit character: “x tale est, ut existentiae et bonitatis Annae rationem reddat”, qui character ope abstractoris <x\Rxöa> repraesentari potest
- * Annae convenit character: “x tale est, ut Deus existentiae et bonitatis ejus rationem reddat” = <x\Rdöx>.

Quapropter in via superlativa affirmare licet:

¹⁸ *Summa theologiae*, 1:13:5.

¹⁹ Certe non sine libertate Annae, Thomas adjungeret.

* $\langle x \setminus R d \ddot{o} x \rangle a$: “Anna talis est ut Deus existentiae suae atque bonitatis rationem reddat”

* $\langle x \setminus R x \ddot{o} a \rangle d$: “Deus talis est ut existentiae bonitatisque Annae rationem reddat”.

Notandum est utrimque unam rationem evadere: $R d \ddot{o} a$.²⁰

En ascensus Thomisticus:

3) “Ἐπίρ”: $\langle x \setminus R x \varphi a \rangle d \wedge \langle x \setminus R d \varphi x \rangle a$

2) ἀπόφασις: $\sim[\varphi d \wedge \varphi a]$ ($\sim \varphi d \vee \sim \varphi a$), φa ; ergo $\sim \varphi d$

1) κατάφασις: $\varphi d \wedge \varphi a$

Ascensus Montis Carmeli

Ascensum dialecticum diximus certam disambiguationem in se habere, scilicet a conceptu “vago, confuso, generalis” Anna ad conceptum progreditur magis “clarum, distinctum, particularem”. At Sanctus Johannes a Cruce, cum ascensum Montis Carmeli describeret, ordinem quadamtenus *invertit*. Nam in profectu spiritali, quamvis antithesis clarior sit thesi, synthesis tamen idcirco est *obscurior* quod in “contemplatione a Deo donata” notitiae sunt “confusae, obscurae, generales” seu ambiguae. Itaque Anna, Montem Carmelem ascendens, claritatem quidem in negatione reperit, duplicem tamen “obscuritatem” in aliis viis; scilicet in via affirmativa ambiguitatem, in superlativa autem mysterium. De “nocte obscura” agitur, quam Johannes in sua thelogica mystica industrie explanare conabatur.²¹ En ascensus:

3) notio obscura, confusa, generalis

✓ minus obscura quam ↗

2) notio inepta negata

✓ obscurior quam ↗

1) notio ambigua

²⁰ $\langle x \setminus R x \varphi a \rangle d \equiv R d \varphi a$ et $\langle x \setminus R d \varphi x \rangle a \equiv R d \varphi a$.

²¹ Vide Redmond (Mexici: Porrúa, 2014), *Deus et logica*, 5.11.

Notio ambigua “purgatur” ex prima “nocte obscura”; in “via illuminativa” deinde contemplatio incipit; in summo Monte tandem “divinum silentium” solum invenitur; Johannes igitur *logice* scripsit:

quam bene fontem novi
exoriens qui fluit--

noctu tamen²².

Recibido 15/11/2014
Aceptado 30/11/2014

²² In pictura Montis Carmeli ab ipso santo picta; *Cantar del Alma/ Que se huelga de conocer a Dios por fe*, “Qué bien sé yo la fonte/ que mana y corre,/ aunque es de noche”.

Summarium. Dionysius Areopagita quod sua theologia apophatica logicae Aristotelis repugnaret accusatus est. Hac sententia e parte “logicae classicae” inspecta, nonnullas commentationes “mysticae Dionysii dialecticae” faciam. Primo modos quibus mens mutetur commentabor ratione monitus Ditrici Bonhoeffer habita quod Deus qui “datur” non datur. Deinde in contextu mediaevalis analogiae disputationis subjiciam quomodo epistemologia religiosa a Johanne Duns Scoto atque Thoma Aquinati tradita per hanc “dialecticam” ostendi possit. Quam demum ad “ascensum” a Johanne a Cruce descriptum referam